

3. **P. Gulielmus Daley**, eiusdem Prov. Balt., Superior et parochus in Christiansted in insula S. Crucis, moriens tantum 37 annos numerabat; sed postea eius Superior Vice-Provincialis P. Iacobus McManus de eo scribere potuit: « *One thing is sure, and that is that he had the most edifyingly beautiful death that any of us had seen. It was like his life, truly Redemptoristic* ». Exitiale malum se manifestavit in cena diei 26 Nov. 1955, sabbato; relicto tunc refectorio copiam sanguinis evomuit. Quod cum nocte feriae II. repetitum esset, statim peritus chirurgus operationem trium horarum perfecit, detegens ulcus in stomacho. Per aliquot dies melius se habebat, sed fer. V, peiorata denuo eius conditione, plane sui compos recepit morientium sacramenta. Solum Viaticum dare non sunt ausi, ob periculum vomitus, sed insequenti die pio eius desiderio satisfecere. Duos ultimos vitae dies transegit in quasi continua oratione, efflagitans etiam confratrum orationes. Mors venit quo momento nemo eam exspectaverat,

Dominica h. 2, 10. Eam doluerunt insulae incolae omnes, etiam leprosi, « *ut doleri solet in morte primogeniti* » (Zach, 12, 10).

Sollemnem Missam de requie in Basilica Bostoniensi celebravit P. Provincialis Connolly. In Christiansted praesente cadavere Missam cantavit P. Vice-Provincialis supra dictus. Advenerat quoque Exc.mus Episcopus Poncensis Iacobus E. McManus, C.SS.R. P. Arthur J. Mahoney commoventem orationem funebrem dixit, debitas laudes tribuens optimo huic confratri, qui semper animi sui laetitiam suo vultu dulce subridenti cordisque bonitatem suis verbis factisque manifestabat. In leprosario Kingshill semper ab istis miseris salutabatur cum iubilo. In fabricanda nova schola paroeciali ipse sese operarium faciebat, et de maiore operis perfectione semper erat occupatus. Quodsi nunc insula S. Crucis melior est, id inde venit, quod sacerdos adeo bonus et sanctos ut P. Dalay ibi per sexennium laboravit.

Ibidem, p. 39 sq.